UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De positionibus, & articulis, ac responsionibus, & quomodo à litis contestatione differant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-61641

Visual Library

TITVLVS V.

DE LITIS CONTESTATIONE.

§. I.

Quid sit litis contestatio, seu in quo consistat, & quo pacto inducatur, & an sit necessaria ad Iudicii substantiam?

LItis contestatio, quæ plerùmque requiritur ad substantiam judicii ordinarii, rectè describitur, quòd sit fundamentum judicii (propriè dicti) per petitionem (actoris) in jure propositam, & congruam (rei) responsionem animo litigandi factam (prout sumitur ex *c. unico h. t.* & ex *c. Dudum. 54. §. Licet autem. De elect.*) juxta formam & praxin illius tribunalis factam; ita tamen, ut per solam facti nrraationem, & particulares petitiones, quæ fiunt ab actore, absque petitione nulla fiat litis contestatio; potest autem ex parte rei fieri litis contestatio, non tamen negativè, sive negando simpliciter narrata, & petita ab actore, prout narrantur, & petuntur, sed etiam affirmativè, ita tamen, ut appareat, hæc fieri non animo cedendi liti, sed animo litigandi, qui facilè præsumitur, quando narrata quædam conceduntur, petita tamen negantur, ad quem finem in judicio sua petere censetur Actor, & negare ea censetur Reus, nisi major expressio ex particulari tribunalis alicujus statuto aut consuetudine requireretur, aut expressè protestetur Reus, se non animo litigandi, sed informandi tantùm Iudicem, petita aut narrata negare.

§. II.

De positionibus, & articulis, ac responsionibus, & quomodo à litis contestatione differant?

POsitiones, quæ regulariter super causa principali post litis contestationem fiunt, sunt breves quædam narrationes, aut assertiones alicujus facti ac causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi, ut noverit actor, ab onere probandi hoc per confessionem ultroneam adversari, se liberum. Debent autem positiones tales esse breves, claræ, & nihil superfluum, aut ad rem non faciens continere, rejicienda à judice, si sint impertinentes; & continere tantùm ea, quæ sunt facti, non autem quæ sunt juris, cùm jus suum certitudinem non à responso rei conventi, sed ex se habeat: & ordinariè in judicio ordinario sunt in scriptis offerendæ, medio juramento, quod juramentum dandorum dicitur, quo jurat actor, se non animo calumniandi, sed juris suum tuendi causâ, positiones tales exhibere. Ex his positionibus, si quæ à reo negentur, fiunt articuli probatoriales, si ad quos probandos se actor offerre debet, cùm enim responsiones ad positiones debeant esse simplices, puræ, & absolutæ, ad rem pertinentes, & claræ, per verbum credo, aut non credo, &c. ut actor sciat, quid sibi probandum sit, consequenter ad lites abbreviandas articulorum

rum talium plurimus usus est. In quorum locum, si per viam inquisitionis ex officio à Iudice procedatur, certa quædam Capitula proponuntur, super quibus suspectus est reus, & infamatus, ut ad ea respondeat.

Distinguuntur autem positiones istæ & articuli à litis contestatione, quòd in his articulis & positionibus nihil à Reo petatur, sicuti in litis contestatione & libello: & quamvis etiam à Iudice interrogationes fieri possent, ab his tamen positiones & articuli differunt, quòd positiones tales ab actore assertivè fiant, interrogatio v. g. à Iudice interrogativè.

§. III.

An, & quomodo per oppositam exceptionem inducatur, vel impediatur litis contestatio?

QUòd per exceceptionem dilatoriam, quâ Iudex tanquam incompetens recusatur, aut quâ actori opponitur, quòd non possit stare in judicio, litis contestatio non inducatur, certum est, quia tales exceptiones non animo litigandi, sed potius animo litem declinandi opponuntur: sed neque per oppositionem exceptionis peremptoriæ inducitur litis contestatio, prout expressè deciditur in *c. Si oblato 2. h. t. in 6.* Cùm in tali casu, qui taliter excipit, non respondeat ad actoris petitionem, cùm tamen litis contestatio per talem responsionem fieri debeat. Negari tamen non potest, quòd per exceptiones dilatorias impediatur quidem, & retardetur litis contestatio, nisi per non oppositas illas ante litis contestationem, videatur his pars litigans renuntiare, aut Iudicis jurisdictionem in se prorogare, per exceptionem tamen peremptoriam ante litis contestationem objectâ, non impeditur litis contestatio, nisi de re judicata, aut lite finitâ reus excipiat, *c. Exception. 1. h. t. in 6.* vel de juramento à parte parti delato, aut factâ legitimâ inter partes transactione.

§. IV.

De effectibus litis contestationis.

PLures sunt illius effectus. Primò enim per litis contestationem partes litigantes ex mutuo consensu ad hanc instantiam judicii obligantur, ut neutra pars alterâ invitâ à judicio recedere possit. Secundò, Iudex recusari non potest post litis contestationem, nisi ex nova suspicionis causa superveniente. Tertiò, non possunt amplius post litis contestationem opponi exceptiones fori declinatoriæ, aut similes dilatoriæ, quibus renuntiatum videtur. Quartò interrumpitur per litis contestationem præscriptio longi temporis. Quintò, revocari nō potest post litis contestationem Procurator, nec libellus mutari, &c. Vide plura apud Auct. Method. hic ex jure Civili petita.